DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
LIENIS GENVINO
V S V,

QVAM

INDVLTV GRATIOSISSIMAE FACVLTATIS MEDICAE

PRAESIDE

VIRO MAGNIFICO

D. AVGVSTO QVIRINO RIVINO,

FACVLT. MED. DECANO, ET P. P.

PATRONO, ET PRAECEPTORE SVO

OMNI PIETATIS, ET REVERENTIAE

CVLTV PROSEQVENDO

PRO LICENTIA

SVMMOS IN MEDICINA HONORES

ET PRIVILEGIA CAPESSENDI

A. D. XXIII. DECEMB. A. O. R. cIɔ Iɔcc XXII.

H. L. Q. C.

DEFENDENDAM IN SE SVSCIPIET

AVCTOR RESPONDENS

IO. IACOBVS NEVHOLD,

SEMPR. VNG.

MEDICINAE BACCALAVREVS.

LIPSIAE,

LITERIS IMMANVELIS TITII.

SENATVI POPVLOQVE SEMPRONIENSI

DISSERTATIONEM HANC

INAVGVRALEM

D. D. D.

AVCTOR.

PRÆFATIO.

QUanquam omnes Anatomicorum libri de Liene plura referant, imo & ſingularia de eo ſcripta hinc inde prodierint, non videntur tamen veritatem amantibus ſatisfacere per omnia, utpote quæ multas quidem diſſentientium opiniones referunt, tam quoad ſtructuram, quam quoad uſum, at neque ſatis probant, neque ut falſas omnino rejiciunt. Ne igitur in dubio relinquatur animus, operæ pretium me facturum exiſtimavi, ſi hac vice ſpeciatim de GENUINO LIENIS USU agam, ac breviter, quantum poſſibile, non modo referam quid de eo ſtatuatur; ſed etiam rationes adjiciam decidendi, quod ut arbitror, materiam Diſſertatione non indignam præbere poterit. Lubet igitur primo loco recenſere

aliorum ſententias, examinare ad lancem veritatis, ac deinde, quæ præ cæteris omnibus maxime probabilis videtur, ſubjungere. Faxit Divinum Numen, ut omnia feliciter eveniant.

§. I.

HAud ſcio, inquit TH. CORNELIUS, CONSENT. *Progymnaſm. phyſic. VI. p.m. 224, an ulla quæſtio in deſcribenda animalium œconomia majoribus, unquam habita ſit contentionibus, quam quæ eſt de uſu Lienis.* Videamus, quo ſucceſſu id factum fuerit, & quæ tandem ſententia pro vera poſſit haberi, ac etiam defendi.

§. II. Nec erubuerunt aliqui ab initio illud viſcus habere pro mere inutili. Sane DEMOCRITUS, HIPPOCRATIS coætaneus, Lienem ſine aliquo uſu in animalium corporibus factum duxit, quando ait: *Splen ex adverſo jecoris jacet nullum negotium exhibens.* Et poſt eum ERASISTRATUS, *maximus alias ſui ſeculi, Plinii teſtimonio Medicus, hauſta dubio procul eadem ab avis ſententia, Lienem inutile microcoſmi pondus judicavit*, ut verbis utar TILINGII *Anat. Lien. Sect. II. cap. I. p. m. 226.* dum ait: *Naturam timentem nec ubi artis ſuæ oblivisceretur, dum fœtui vix concepto jecur in dextris conformaret, in ſiniſtro quoque latere aliquid molitum eſſe, & conſiſtentem in eo Lienem jecori oppoſuiſſe.* Quem ſequitur RUFFUS EPHESIUS *Lib. II. cap. VII.* ubi hæc habet: *Lien jecori contrarius, in ſiniſtris præcordiis jacens, opponitur, ad humani veſtigii longitudinem protentus:*

ſupe-

ſuperius rotundus, *&* *robuſtus*; *infra contractus*, *&* *gracilis*: *medius anguſtior*; *vini fecis colore perfuſus*: *laxus*, *ac foraminulentus*, *conceptaculis multis implicitus*: *ignavum membrum*, *nulloque fungens miniſterio*. Itaque a GALENO *Nat. Facult. Lib. II. cap. 9. fol. 301. b.* illud ERASISTRATI dogma caſtigatur: *Oportuerat eum nec de Liene aliquid dixiſſe, nec impudenter tam magnum inſtrumentum exiſtimaſſe a natura artificioſa fruſtra conditum*: *ſiquidem natura nihil facit fruſtra.*

§. III. Verum hoc nimium eſt, ideo ſpleni omnem uſum in corpore negare velle, quod eum ignoremus: fortaſſis enim poſteriora tempora feliciora erunt, & ea, quæ hactenus latitarunt, in apricum producent. Interim certum eſt, uſum illius adeo inſignem, & ad vitam neceſſarium haud eſſe, ſi vel hoc unicum cogitemus, non modo in brutis, ſed etiam in homine eximi poſſe ſalua manente vita, immo etiam ſanitate.

§. IV. Meretur huc ex TH. BARTHOLINI, *Hiſt. Anat. Cent. IV. 51. p. m. 343.* referri: *Nuper in Anglia Medici periculum fecerunt*, *&* *ſine noxa brutis animantibus*, *canibus*, *felibus*, *ſuibus*, *Lienem exſecuerunt*. *Sicut ad me perſcripſit Doctiſſimus Medic. Cand. Io. Chriſtian. Agricola*, *olim auditor meus*, *&* *amicus dilectus*. *Modus autem a D. Scarbourgh Anatomico Londinenſi*, *&* *digniſſimo Magni Haruei ſucceſſore ipſi communicatus hic eſt*: *Sumatur canis*, *felis*, *vel ſus*, *&* *ſub diaphragmate in ſiniſtro latere vulnus oblongum infligatur*, *cui digitus immittatur*, *&* *lien cum vaſis attrahatur*, *factaque ligatura lien abſcindatur prope vinculum*: *huic ligaturæ inungi poterit Balſ. Sulphuris tamdiu*, *donec pus omne cum vinculo tandem effluxerit*, *poſtea conſuitur vulnus*. *Alium modum aperuit ipſi* D. JOLIVIUS, *Clariſſimus ibidem Medicus*:

Sumit enim canem, vulnuſque oblongum eodem loco infert, poſtea ſeparat lienem ab omento novacula, ita tamen, ut ſine læſione omenti fiat, poſtea lienem apprehenſum cum vaſis contorquet in modum convolvuli, ſanguinem exprimit & lienem unguibus abſcindit. Nullo ille balſamo utitur, ſed canem fovet calido loco, linteisque involvit, ne aëre externo vulnus lædatur, eumque a motu, & ambulatione quietum ſervat; ſic felici cum ſucceſſu experimentum notavit Agricola, & frater meus cariſſimus D. ERASMUS BARTHOLINUS, *nuper redux, ibidem canem* D. SCHARBOURGHI *vidit, cui lien exciſus fuerat.*

§. V. Talem quoque canem Ohn Miltz dictum per plures annos aluit hic Lipſiæ Decanus Fac. Med. D. JO. MICHAELIS, poſtea optimo cnm ſucceſſu idem experimentum inſtituit D. JO. BOHNIUS, uti teſtatur in *Circ. Anat. p. 281.* & D. CHRISTIANUS JO. LANGIUS, *Opp. P. I. p. 135.* ſe ἄσπληνον ejusmodi canem poſt coalitionem vulneris multis annis perfecte ſanum enutriviſſe, affirmat.

§. VI. Plura nihilominus ſunt, quæ hujusmodi experimentum in homine inſtituere pene prohibent, ita, ut quod de curſoribus vulgo circumferunt, pro fabula multis habeatur. Attamen nec illud eſſe impoſſibile, hiſtoriæ probant variæ notatu ſatis dignæ. Audiamus iterum TH. BARTHOLINUM, l. c. *Id tentavit* LEONARDUS FIOROVANTI, *Eques Medicus, & Chirurgus Bononienſis, felixque Empiricus, qui Panormi in Sicilia cujusdam lienoſæ mulieris ventrem diſſecuit, atque lienem extraxit pendentem libras,* (rectius Uncias) *32. ſicque a maximo, eoque interficiente Scirrho mulierem liberavit.* Extat hæc hiſtoria in Fiorovanti Theſauro vitæ humanæ, L. II. c. 8. quam ex Italica dialecto

in

in latinam ſic tranſtulit BARTHOLINUS: *Anno cIↄIↄXLIX. Menſe Aprilis vocatus ſum ad mulierem græcam, quae habitabat Panormi, prope hortum Marchionis de Terra Nova, uxorem centurionis ſeu capitanei Martii græci. Nomen mulieris erat Marulla, nata annos 24, cui lien oppilatus, tanta mole increſcens, ut corpus ampliorem non caperet. Cum a variis Medicis inviſeretur, ipſi dictum fuit, ſi curari vellet, neceſſario eximendum eſſe ex corpore lienem. Capitaneus ad me venit, abduxitque ſecum, ut uxorem ejus inviſerem, hæc a me poſtulat lienis exſectionem. Ego vero vocavi ſenem quendam ex regno Neapolitano ex urbe Palum, nomine* ADRIANUM ZACCARELLUM *in Chirurgia exercitatiſſimum, cum hoc aggreſſus negotium abdomen ille ſenex novocula ſuper lienem ſecavit, ſtatimque lien extra corpus proſiliit. A membranis ſeparatum extraximus totum, corpusque conſuimus ſolo ſpiraculo exiguo relicto, & ego curavi oleo hypericonis, & pulvere thuris, maſtichis &c. ita ſpatio 24. dierum fuit ſanata. Lien ex corpore extractus uncias duas & triginta pendebat.*

§. VII. Qui recentius mavult exemplum adeat *Miſc. Nat. Cur. Dec. I, An. IV. & V. obſ. 165.* TIM. CLARKII *p. 209.* quod ita ſe habet: *Lanius quidam ruſticus in parte hujus Inſulæ, Angliæ, occidentali in Comitatu Sommerſetenſi, in villa prope Crookhorne, Wayford dicta, Guilielmus Panier nomine, ære alieno oppreſſus, ne in jus caperetur, ſemet ut plurimum abſcondere coactus eſt, tandem dum privatim laniavit, lictores illum jam capturi erant, quos ut evitaret vir deſperabundus, cultrum laniarium in ſiniſtram abdominis partem adegit, unde magno facto vulnere, pars omenti, inteſtinorum, & lien etiam ſtatim erupere. Hinc lictores perterriti, virum, ut putabant moribundum, ſtatim dereliquere; per trium dierum ſpatium*

vulnus

vulnus ſine ſutura manebat, tandem vero accerſitus chirurgus, retruſis inteſtinis, partem onenti cum liene cultro abſcindebat, & conſuto vulnere brevi convaluit lanius, & per totum annum ſequentem ſanus, & hilaris vitam degebat, & deinde in novam Angliam profectus eſt, ubi non ita dudum ſanus adhuc vivebat. Vir fide dignus, & teſtis oculatus DOUBENY TURBEVILE, *M. D. & inter noſtrates oculorum medela celeberrimus, hanc obſervationem mecum communicavit.*

§. VIII. Aliud An. cIɔ Iɔc LXXVIII. annotatum habent *M. N. C. Dec. II. An. III. obſ. 195.* D. DAN. CRVGERI: *Scultetus pagi* Heinckenhagen, *non procul a Colberg, a Ruſtico, quem in terram proſtraverat, ſibi ſubjacente in ſiniſtro latere cum cultro graviter fuit ſauciatus: in cultri acie media ſciſſura magnam ſimul partem lienis extraxit, ſubſequentibus ſubinde vomitibus magis fuit lien expulſus, & per noctem illam in ſuo ſangvine, ob abſentiam talium, absque adiutu ullius, qui potuiſſet opem adferre, decubuit. Mane e Colberga juſſu Magiſtratus NIC. MATTHIÆ Chirurgus Colbergenſis, adveniens miſerum in cruore immerſum invenit, lienemque e corpore propendentem tumidum. Omnes, qui tum præſentes cum ſacerdote fuere, videre Splenis parenchyma, & admirati ſunt, tam nobile viſcus per vulnus prominere. Chirurgus cum lacte, ceteriſque ad idoneam fomentationem facientibus herbis plagam curare aggreſſus, patientem circa ſolis occaſum in urbem Colbergam transferri curavit. Poſtero die, Medico ad conſilium vocato, lienem per vulnus prætumidum monſtravit, & utrum præſcindere eundem deberet, quæſivit. Ille vero, quia neminem ſine liene vixiſſe unquam docuerint Auctores, renuit: nec enim unde poſtea effluens affatim ſangvis ex abdomine, viam vel modum exitus habeat, ſibi conſtare*

reſpon-

reſpondit. Chirurgus e contra, quia lien amplius per vulnus intrudi, inque locum ſuum convenientem reponi poſſe non videret, ſatius eſſe illum auferri judicavit. Huic aſſentit patiens, in tali mortis verſans diſcrimine, omnia pati patienter paratus. Tunc ſericeo partem ſplenis propendentem arcte ligavit vinculo, & integrum viſcus extraxit: hinc eam, qua adhærebat corpori, partem funiculo conſtrinxit & tertio poſt die univerſum ſectione abſtulit lienem, ſanguinem abunde fluentem pulvere ſtiptico compeſcuit, ceteriſque convenientibus medicamentis intra trium ſeptimanarum ſpatium ad ſanitatem vulneratum reduxit, remanente ſaltem in illo vulneris loco tuberculo avellanam æquante, quia vaſa ibidem abſciſſa carni ſe agglutinarunt. In hunc usque diem commode cum uxore, non exors prolis, vivit, laboribusque ſolitis præeſt.

§. IX. Quod ſi vera hæc ſunt, ita ut ſalva vita, immo etiam ſanitate in brutis, & homine Lien abeſſe poſſit, ſequitur omnino tam nobile viſcus illud haud eſſe. Quem vero illi aſſignabimus uſum, ſiquidem fruſtra id factum, ſana ratio diſſuadet? Audiamus alios: nec enim deſunt, qui, ne quid ignorare videantur, quodvis potius fingere malunt, quam tacere. Evolvat cui volupe eſt, CASP. BARTHOLINI *Controv. Anat. p. m. 423. ſeqq.* ubi prolixe tradit, quot ſint opininiones de uſu Lienis. Confer. qnoque IO. ANTONID. van der Linden *Medic. Phyſiol. L. II. c. 5. Art. 3. p. 72. ſeqq.* & MATTH. TILINGIUM *in Anat. Lienis Sect. II. c. I. p. m. 225. ſeqq.*

§. X. Antiquiſſimus Medicinæ parens HIPPOCRATES Lienem nominat fontem aquarum, quando *de Morb. L. IV. Text. II.* ſic ſcribit: *Sanguini fons eſt cor, pituitæ caput, aquæ Splen, bili locus folliculi in hepate, hi ſunt quatuor*

humoribus his fontes, ventriculo excepto, & L. I. de Morb. Mulier. Text. LXXXVII. Si mulier aqua intercute laboravit, Splene ipſius magno, & aquoſo exiſtente. Fit autem Splen aquoſus ab hac affectione, cum febris habuerit, & non dimiſerit hominem, & ſitis ipſum corripuerit fortis, & biberit, ac non revomuerit. Nam quod in veſicam penetrat per urinam eiicitur. Reliquum vero Splen capit, abſtrahens a ventre ad ſe ipſum, ut qui rarus eſt, & ſpongiformis, & ſecundum ventrem ſitus &c. Unde clariſſime liquet, eum in illa fuiſſe opinione, quod lien inſtar ſpongiæ e ventriculo partem Voſam imbibat; quoniam vero ſecundum naturam lienem non ſero turgidum, ſed ſanguine deprehendimus, haud immerito de hoc lienis munere dubitamus, præſertim cum illa tractio humorum poſt inventam circulationem ſanguinis locum non amplius habeat. Interim lienem ſano ſenſu aquarum fontem dici poſſe non inficior, ut inferius ſuo loco demonſtrabitur.

§. XI. Mirum eſt, hanc ſententiam Hippocraticam a nemine adeo probari, ſi WEDELIUM excipias, qui in *Phyſiol. Med. Sect. III. C. XIX.* quodammodo ad eam accedere videtur: *Lienem diſpenſare ſerum ſanguinis, qui ab arteriis copioſis adductus per innumeras glandulas, vel Sacculos, & ovalia corpora filtratur, alteratur, & ibi ſeroſitatem ſuam deponit, blandam in ſtatu naturali, & lymphaticam.* In hoc igitur laudandus eſt, quod neque ex ventriculo tranſire lympham, neque per alias vias, quam arterias adduci ſtatuat, nondum tamen oſtendit, quem uſum habeat ſeroſitas blanda, & lymphatica ibi depoſita.

§. XII. GLISSONIUS autem *in Anat. Hepatis, Cap. XLV. p. m. 400. ſeqq.* exiſtimat, in Liene humorem aqueum quen-

quendam confici, qui ſucco nervorum pro vehiculo inſerviat, hunc enim in finem copioſas fibras datas eſſe huic viſceri a natura, ut beneficio earum a ſanguine liquor eliciatur per lienis parenchyma delatus, atque in nervos capillares transferatur, huncque eſſe uſum lienis primarium. Fruſtra vero tale quod fingere videtur; Si enim ſpiritus igneæ naturæ ſunt, quid aqua opus habent? Sane △is longe ſubtiliores habet particulas, quæ ferrum aliaque corpora etiam duriſſima permeare poſſunt, etiam ſi △er & ▽a illa penetrare nequeat: & quæ craſſiora ſunt, per aquea diluntur, uti chylus, ſanguis &c. Aſt particulis ſpirituoſis aſſignare velle aquam pro vehiculo, æque ridiculum eſt, acſi velis corporibus cœleſtibus pedes, angelis pennas, alasque tribuere, ad facilitandum, vel accelerandum illorum motum.

§. XIII. Singulare prorſus eſt, quod legimus apud HAVERVM, *in oſteol. nou. diſcurſ. 4. A glandulis mucilaginoſis*, ita ipſi dictis, *ſeparari liquorem ſ. mucilaginem, quæ albumini ovi fere eſt ſimilis, licet non ſemper adeo clara ſit, atque limpida, ſi tamen pura &, ei per quam ſimilis exiſtit. Principalis hujus mucilagiuis uſus eſt lubricare juncturas, & extremitates oſſium articulatorum ita læves, & lubricas reddere, ac conſervare, ut animal, quotiescunque opus eſt, has partes facillime movere, & dirigere poſſit. Hæc equidem mucilago potiſſima res extremitates oſſium articulatorum lubricans eſſe videtur; ſola tamen non eſt. Nam præter hunc liquorem, qui a glaudulis mucilaginoſis ſuppeditatur, & jam in illa ipſa receptacula ſive interſtitia a cavitatibus horum oſſium oleoſa quædam ſubſtantia per meatus in hunc finem expreſſe formatos transmittitur. Hæ duæ ſubſtantiæ in junctura obviam ſibi factæ invicem permiſcentur, in ſpecie dum*

 pars

pars movetur. Mutatio proin, quam illa pars ſangvinis ex qua Mucilago producitur in ordine ad illam ſubit, effici videtur a parte quadam glanduloſa; nec ullam tamen ego eſſe arbitror adeo aptam ad hoc negotium & ad quam illud probabiliter attinet, ac lienem, quem officinam eſſe ſuppono, in qua natura producat & elaboret mucilaginem, ex qua illa ſangvini ſubminiſtretur, illius vero miniſterio in ſua circulatione omnibus diſpenſetur partibus, circa quas illius adhibitione opus eſt. Enimvero ſi glandulæ adſunt mucilaginoſæ ad hunc liquorem e chyli vel ſanguinis parte gelatinoſa præparandum deſtinatæ, quid ſibi vult Lien? nihil ſane gelatinæ aut mucilaginis hic loci obſervatur. Meliori jure hanc e capite tanquam fonte pituitæ licebit derivare, vel potius ex ipſa tunica narium pituitaria. Quemadmodum autem glandulæ ſalivales ad ſalivam præparandam, pancreas ad ſuccum pancreaticum ſufficiunt nullo indigentes Liene, nulla officina præparatoria, ita nec glandulæ mucilaginoſæ auctori dictæ alio viſcere opus habent, in quo gelatina vel mucilago generetur, quippe quæ in chylo & ſanguine actu jamjam exiſtit.

§. XIV. Quid in atra bile ſeparanda vel præparanda præſtet Lien, præ cæteris GALENVS expoſuit *L. IV. de Uſu part. cap. 15. ſcil. Splenem inſtrumentum quoddam eſſe, quod purgat limoſos & craſſos ac melancholicos ſuccos in hepate genitos. Attrahit enim hos per vas venoſum, tanquam per ſtomachum quendam: attractos autem non protinus in ventriculum excernit, ſed ipſe prius per multum otium conficit atque immutat, utens ad hanc actionem potiſſimum arteriis, quæ certe multæ & magnæ ſunt per totum viſcus, non temere, neque fortuito a natura ipſi tributæ, ſed ut motus*

aſſi-

aſſiduitate & innatæ caliditatis, quæ ipſis a corde affluit robore confici, frangi, mutari atque alterari poſſit craſſities tranſumtorum ab hepate ad ſplenem ſuccorum. Quicquid igitur eorum in ſuccum huic viſceri maxime convenientem converſum fuerit, fit Lieni alimentum. Si quid vero effugerit actionem ipſius, nec poſſit in ſangvinem tenuem atque utilem elaborari, & omnino inutile nutriendo exiſtit, id in ventriculum per alium quendam venoſum ductum Lien eructat, utilitatem & ipſum quandam haud contemnendam præſtiturum. & Lib. V. Cap. 4. Acerba eſt atque acida bilis atra & contrahere ventriculum ac conſtringere, non, ut flava ſubvertere nata eſt. Conſtat ergo, quod quemadmodum hæc noxia eſſe memorabatur, propterea quod vetaret cibos diutius in ventriculo concoqui, pari modo atram bilem non modo non lædere comperiemus, ſed etiam actionem ipſius proprie promovere. Nam ventriculum intendit ac contrahit in ſe ipſum, cogitque cibos ad ungvem circumplecti, atque retinere, quousque fuerint percocti.

§. XV. Sentiunt cum GALENO longe plures, THEOPHILVS, ORIBASIUS, ALEXANDER TRALL. AVICENNA, ACTUARIUS, MELETIUS, AVERRHOES, VAROLIUS, FERNELIUS, REUSNERUS, LAURENTIUS aliique, quod quidem condonandum eſt iis omnibus, qui ante inventam ſanguinis circulationem ſcripſerunt. Poſtquam vero certiſſimum eſt, nihil per venam ſplenicam ex hepate ad Lienem, nihil per vaſa brevia in ſtomachum tranſire poſſe, quicquid hoc fundamento nititur, totum corruit. Adhæc ratio apparet nulla, propter quam Lien præ cæteris viſceribus acida vel atram bilem appetat; ut taceam,

ſecundum naturam tale quid in homine ſano ne quidem apparere.

§. XVI. Proinde nec TH. WILLIS audiendus eſt, qui mutatis mutandis eandem Melancholiam chylo ac lymphæ aſſignare non veretur, ſic enim in *Tr. de Ferment. cap. V. p. m. 13. Erit hic opportunum inquirere, quis ſit uſus Lienis; de quo a quibusdam omnia bona dicuntur; ut ſit velut alterum hepar, & ſanguificationi pro viſceribus ventris inferioris inſerviat: ab aliis uſus viliſſimi reputatur, ut ſit tantum cloaca ſive ſentina, in quam fæculentiæ ſanguinis rejiciuntur. Ratione ſtructuræ ejus hujusmodi conjecturam facimus: quoniam arteriæ huic ſanguinem conferunt & venæ referunt, nec importatur aliud quidpiam, nec extra convehitur; cumque ſubſtantia ejus ſanguine atro & ſtagnante usque repleatur, videtur quod ſit veluti promptuarium pro recipienda terreſtri & limoſa parte ſanguinis; quæ poſtea in fermenti naturam, exaltata, efferveſcentiæ gratia ſanguini remandatur. Quare dum ſanguis per arterias advectus Lienem ſubit, ipſi detrahitur quiddam, ſcil particulæ limoſæ & terreſtres, quæ ſunt cruoris velut fæx & caput mortuum, ut hac ratione tota cruoris maſſa, a ſucco melancholico, ſeu atra bile liberetur: quæ in Liene non ſecus ac flava bilis in hepate, ſecernitur: quare Lien plerumque eſt atri & lividi coloris, propter fæculentias illic depoſitas. Cum vero hic ſuccus in Liene repoſitus non ſit omnino inutilis, ſed ob copiam ſalis fixi ſit valde fermenteſcibilis naturæ; non ſtatim ut bilis in cloacam rejicitur, ſed ulterius in liene coquitur; & exaltatus in fermentum abit, quod denuo ſanguini commiſſum, ejus motum & volatiliſationem promovet. Quare ut ſanguini per arterias lienem ingreſſo, aliquid detrahitur, ſcil. crudus melancholiæ ſuccus:*

cus: ſic eidem per venas refluo aliquid continuo additur, ſcil. idem ſuccus coctus & in fermenti naturam exaltatus. Veniam autem mihi dabit Auctor hic, ſi cum eo ſentire hac in parte nequeam. Largior lienem habere ſuas arterias & venas, quid inde ſequitur, habent & reliqua viſcera uti & muſculi ſuas arterias & venas; Cur vero Melancholia e corde per arterias fertur ad ſplenem & non alias partes ſimiliter? Dicis: Lien hoc peculiare habet, quod ſubſtantia ejus ſanguine atro & ſtagnante usque repleatur, unde conſtat hoc viſcus præ cæteris ſibi ſervare hujusmodi humores atrabilarios; reſpondeo, id fieri præter naturam, quis vero argumentatur a ſtatu morboſo ad ſtatum naturalem? Ergone renes in ſtatu naturali promptuarium ſunt calculorum, quoniam tales in nephriticis quotidie obſervantur?

§. XVII. Fateor, Lienis vitia frequentiora eſſe tumorem, dolorem ac ſcirrhum, quæ non incongrue ab humoribus craſſis & hinc nata obſtructione deducuntur. Quidſi vero oſtendam, non tam culpa propria, quam aliena, hæc omnia fieri? Copia ſane arteriarum tanta eſt in Liene, quanta vix in ulla parte alia notatur. Qui ergo affluit ſanguis, non ſine impetu per Lienem tranſit, præſertim cum venæ ſanguinem hunc excipientes non ſint adeo anguſtæ, ſed in multis animalibus ove ac bove ita patentes, ut magis ampliores ſinus, quam ramificationes venoſas referant. Hoc tamen non obſtante, lienem in his etiam animalibus nigrum ac induratum quandoque obſervamus. Unde non difficulter colligere licebit, hepar in cauſa eſſe, propter quam in Liene ſtagnatio humorum fiat, nempe quotiescunque per hepatis ſubſtantiam liberior ipſis negatur tranſitus. Etenim arteriæ adeo exiguæ tanti viſceris vix ſufficiunt ad

pro-

promovendum ſanguinem longe copioſiorem per venam portæ affluentem; ſi proinde grumuli ſanguinis, pituita vel levis occaſio data fuerit oppilationi, tunc ſtagnante quodammodo ſanguine malum neceſſario redundat in Lienem, qui ob raritatem vel mollitiem ſubſtantiæ non ſatis reſiſtens excipit, quantum poteſt. Interea prohibere nequit, quin craſſiores ac tartareæ particulæ in Lienis poris vel glandulis coëant atque figantur. Non dicam, in praxi medica diſcrimen inter hepatica & ſplenetica haud attendi, ſed communi nomine aperientium venire, uti ſunt Martialia, Tartarea, Anti-ſcorbutica v. gr. Cochlearia, Naſturtium, Rad. Armorac. Cort. Winteran. Trifol Fibrinum, it. Chelidon. maj. Centaur. min. &c.

§. XVIII. Largiar itidem, eos, qui vitio Lienis laborant, ad triſtitiam & Melancholiam admodum propenſos eſſe. Nec aliter interpretari poſſum illud antiquum: *Splen ridere facit*, quam quod perfecte ſanus hilaris ſit, quamdiu Lien ſuo ſatisfaciat officio, cum e contrario triſtes ſint præ cæteris, quibus humor vitioſus in Liene collectus fuerit. Confirmat idipſum hiſtoria, quam CASP. BARTHOLINVS *in Controv. anat. p. 476.* refert: *Novi ego hic in Dania paſtorem virum & hilarem & probum, qui vitæ toto tempore, quamdiu proſpera utebatur valetudine immane quam fuerit petulanti ſplene cachinno, ut etiam cachinnorum ejus fama ad alios percrebeſceret. Is tandem Lienoſus factus & liene hydropicus, adeo a riſu omni fuit alienus ac ſi rationalis non fuiſſet.* Quoniam vero non lienoſos tantum, ſed & jecoris vitio, aut malo hypochondriaco laborantes pariter melancholicos deprehendimus, nec melancholiæ, nec riſus ſedem quærere in ſplene licebit amplius.

§. XIX.

§. XIX. Alii non acquieſcunt in ſeparando humore melancholico, ſed arbitrantur illum a liene in fermentum converti magis laudabile, ac præcipue ad digeſtionem primam ventriculo neceſſarium. Ita enim JOH. RIOLANVS *fil. in Enchirid. anat. Lib. II. c. 26. p. 134. Exiſtimo ſplenem limoſum ſanguinem attrahere ad ſui nutritionem, inde ſerum quoddam particulare fermentativum per arterias ſplenicas effundere in ventriculum, & cum ſit bibulum ejus parenchyma, per venas elicere & emungere ſuperfluum liquorem ex ventriculo, ut melior fiat concoctio.* Clarius, & fermenti hujus naturam, & uſum exponit HELMONT *in Tr. Calor. eff. non dig. p. 164. 24. 30.* ubi aſſerit, *transmutari cibos ab acido, adeoque habitare in ſtomacho fermentum, quod omnia ingeſta licet dulcia, ſtatim in acidum commutaret. Quo circa eſſe quoque acida cuncta, quæ appetitui deſidi propinantur; Ut ſunt Omphacium, acetum, ſuccus citri, aurantii &c. Aſt cum fermentum ſubinde deſit ſtomacho, patet exinde, quod fermentum ipſius non ſit ipſi proprium, ſed aliunde eo affluat & inſpiretur. Ideoque Lien ſtomacho imcumbit, ſic, ut gallinæ Lienem circa ſtomachum unitiſſime congeſtum habeant, ideoque & potentius digerant.* Hunc ſequitur FR. OSW. GREMBSIUS *in Arbor. integr. & ruin. Lib. I. c. 8.* aliique plures. Poſtquam vero demonſtratum fuit, fermentum neque acidum eſſe, nec eſſe poſſe, ſiquidem hoc ipſum infantibus nocivum foret propter coagulum lactis inde metuendum: adultis autem inutile, utpote quod ſolvere non poſſet, quæ ſolvenda ſunt, pinguia, lardum & id genus alia, itaque his temporibus aciditatem ſuam amiſit, inque fatuum, ſeu inſipidum abiit, aut rectius omnino deſiit.

§. XX. Aliter Lienis uſum in juvanda digeſtione pri-

C ma

ma jam olim expoſuit ARISTOTELES *Lib. 3. de part. animal. cap. 7. Jecur & Lien juvant ad cibi concoctionem: quod enim ſanguinea ſunt, calidam habent naturam.* Verum obſtare poſſunt varia, quo minus hæc ſententia locum habeat, ſiquidem æqualis per totum corpus calor diffuſus eſt, ita ut nulla pars præ altera dici poſſit magis vel minus calida: Deinde ſitus Lienis haud quadrare videtur, quippe qui non ſtomacho incumbit, ut calorem ſuum cum eo communicare queat, ſed fundo ejus adhæret, ita ut in multis ſubjectis notabili ſatis intervallo a ventriculo recedat, ac dependeat longius. Non dicam in piſcibus & amphibiis calorem ſenſibilem vix unquam in Liene obſervari, adeoque hoc pacto ad chylificationem ſeu concoctionem alimentorum nihil contribuere poſſe.

§. XXI. M. DE LA CHAMBRE autem Conject. quas de Digeſtione ſermone vernaculo edidit art. 50. aſſerit: *Lienis principalem functionem eſſe, ut præparet ſpiritus neceſſarios ad diſſolutionem alimentorum in ventriculo.* Quemadmodum vero poſterius utraque manu concedo, videlicet a ſpiritibus digeſtionem illam primam unice abſolvi; ita prius conſtanter nego, cum ventriculus nervos ſuos habeat proprios, per quos ſpiritibus influere poſſint, ſed in Liene ſpiritus elaborari ac inde in ventriculum derivari, nulla ratio dictitat.

§. XXII. Forſan ejusmodi liquorem ſpirituoſum intelligit GER. BLASIUS, quando *in Comment.* ad VESLINGIUM *Cap. IV. p. 68.* Humorem mercurialem a ſanguine in Liene ſegregari dicit, verba ejus ita ſonant: *De uſu & actione Lienis placet ſententia* BARTHOLINI, *aliorumque* WALÆUM *celeberrimum Anatomicum qui ſequuntur; humorem nempe mercurialem a maſſa ſanguinea hic ſegregari,*

qui

qui dein eidem ſuo modo iterum commixtus, beneficio venæ ſplenicæ, portæ & cavæ cordi redditus, ex eo ad ventriculum, aliasque partes cum ſanguine per arterias deducitur, ut fermenti naturam habens coctionibus, ſegregationibus, alterationibus humorum variis in partibus celebrandis inſerviat. At non liquet unde Lien facultatem habeat generandi liquorem fermentativum, qui ex ſtomacho & aliis viſceribus ad digeſtiones & ſecretiones ſufficere poſſit. Si quid enim fermenta valent, id ſane virtute ſpecifica præſtare longe veroſimilius eſt, quam idem fermentum & chylum, & ſanguinem, & bilem atque lotium conficere.

§. XXIII. Non æque generalem fermenti hujus lienalis uſum ſtatuit TH. CORNELIUS *Progymn. phyſ. VI. p. m. 225.* Nihilominus duplicem, ſcil. qui tum ad chylificationem tum ad ſanguificationem ſufficiat; Verba ejus hæc ſunt: *Ego ſane perſuaſum habeo, viſcus hoc* (Lienem) *animantibus a natura donatum, tum fermentandæ eſcæ gratia, tum quoque conficiendi ſanguinis cauſa; utrumque autem munus non carne, ſeu, ut Medici dicunt, parenchymate, ſed vaſis; hoc eſt venis & arteriis conficere exiſtimo. Quippe ad hoc facta videtur magna illa innumerabilium vaſorum in liene implicatio, ut ibi ſecernantur calidæ expirationes & acres ſucci, qui per peculiares ductus in ventriculum ac jecur influentes ciborum fermentationem, ſanguinisque confectionem adjuvant.* Mirabile certe fermentum hoc eſt, cui ſimile in tota rerum natura nullibi occurrit, ſcil. quod alimenta cujuscunque generis aſſumta inter digerendum colore imbuit candido, & alibi eundem chylum rubore tingit perfecto. Mallem interea demonſtraſſe Cornelium peculiares illos ductus, per quos fermentum & in ventriculum & jecur tradu-

ceretur; hactenus enim neque ab oculatiſſimis Anatomicis deprehenſi ſunt unquam.

§. XXIV. Neglecto igitur ſtomachi fermento unicum Lieni fermentum aſſignat ad ſanguificationem utile CORN. ab HOGELANDE *Hiſt. Oecon. animal. pag. 190.* his verbis: *Cum ergo jam ex antecedentibus conſtet, Lienis actionem in ſanguine in omnibus ac per omnia idem præſtare, quod fermentatio in liquoribus ſanguini homogeneis; recte concludi videtur, ipſum Lienem, ſive ejusdem ſubſtantiam purum ac perpetuum eſſe fermentum, cujus actione & functione ſanguis (cæteris paribus) in ſalutarem corporis nutritionem, ſpirituumque generationem fermentatur ac præparatur.* Conſentire in hujus aſſertum videtur ALB. KYPERUS *Lib. VIII. Inſtit. phyſ. cap. 3. Th. 20. Lien ſanguinem ad ſe transmiſſum aliquantum immutans aptum facit, ut fermenti ad inſtar mutationem chyli in ſanguinem promoveat.* it. GOTHOFR. MOEBIUS *in Fundam. Med. phyſ. cap. 16. p. 598. Videtur veriſimile vel totam maſſam ſanguineam crebriore circulatione a natura inſtituta tandem lienem tranſire, vel partem quandam ſanguinis in Liene rite coctam & fermento iſto ſpecifico imbutam in regreſſu ad cor, juvare totius maſſæ ſanguineæ fermentationem, ut recrementoſæ partes ad ſeparationem diſponi queant.* Et quicquid KYPERUS *dixit de uſu Lienis, quod ſanguinem a corde tuansmiſſum immutet & aptum faciat, ut deinde fermenti inſtar chyli in ſanguinem mutationem promovere queat, iſtud potius affirmamus de eo, quod nimirum ſanguis in Liene peculiari modo coquatur, fermentetur, & deinde tota maſſa ſanguinea eo fermento infecta conceptum fermentum continuet, quo recrementa ita diſponi queant, ut in locis convenientibus ſegregari poſſint.*

XXV.

§. XXV. Quis vero unquam vidit e. gr. muſtum album per fermentationem in vinum converti rubrum? Ecquis ſangvinem ſua natura ſalſum, gelatinoſis vel etiam fibroſis particulis refertum per fermentationem ſua excrementa deponere credat? Cum tale quid longe facilius per digeſtionem & transcolationem fieri non obſcurum ſit. Nam & FR. de le BOE SYLVIVS, *Diſp. med. V. §. 16. ſq.* recte negat fermentum hoc lienis ad purgandum ſangvinem factum eſſe. Quanquam idem pro tinctura dum habet, non ſatisfaciat omnibus, ſic ille cenſet: *Quicquid a Liene prodit, ſangvinis commiſceri maſſæ; ac proinde nullum in Liene ſecerni inutile, noxiumve corpori excrementum; verum ſangvinem in corde jam perfectum, ac copioſe ad Lienem delatum, amplius in ipſo elaborari & quodammodo plusquam perfici, adeo ut fermenti cujusdam ſangvinei aut tincturæ (cum chymicis ſi loqui libeat) induat ibidem naturam cujus interventu facilius & celerius in ſanguinem abeat chylus. Huic ſangvinis exaltationi ſplenicæ promovendæ non parum conferre ſpiritum animalem nemo ibit facile inficias, qui per chymiam edoctus fuerit, omnia fixa unius ſpiritus volatilis ope reddi volatilia; & ex fixi volatiliſatione, hinc volatilis fixatione manare multis inauditas rel incredibiles, veras tamen mutationum mirabilium tincturas. Arbitramur ergo, ſangvinem a corde per arterias ad Lienem delatum ibidem ſpiritibus animalibus continuo eodem confluentibus commixtum, magis magisque cum ipſis permiſceri & digeri atque ſic in tincturæ aut fermenti ſangvinei eſſentiam exaltari & plusquam perfici.* Quid vero tinctura ſangvinis concentrata opus eſt, ſi ſpiritus animales digerendo tam egregios producant effectus? ſane in prima fœtus formatione, antequam Lienis veſtigia ullibi appareant, jamjam ſanguis ſpe-

ctatur, procul dubio a ſpiritu ſeminali factus; nec enim a matre affluere poteſt, ſi cogitemus in oviparorum generatione nullum amplius commercium inter gallinam v. gr. & ovum intercedere, ſed eundem ſpiritum intra teſtam ovi concluſum partes omnes ad perfectionem pulli requiſitas fluidas pariter ac ſolidas virtute inſita, quam plaſticam vocant, elaborare. Quod ſi ſpiritus hic ad ſanguificationem illam primam ſufficit, quid obſtat, quo minus per totum vitæ ſpatium idem præſtet in ſanguificatione continuanda.

§. XXVI. Alia ratione chylum in ſangvinem converti ope Lienis proponit HENR. REGIVS Fundam. Phyſ. *In Liene peragitur coctio, cum pars chyli e ventriculo per vas breve venoſum, ejusque ramos in illum propulſa, ibique cum ſangvine, ex arteriis copioſiſſimis per lienem diffuſis in venas ejus transeunte miſta, a calore ejus ſubigitur; quæ deinde per ductum ſplenicum cum ſanguine ex vena hæmorrhoidali in ductum illum interdum aſcendente in venam portæ, & ex illo porro in hepar, ulterius ibidem cum alio ſangvine & chylo in illud aſcendente coquendo, confluit.* Verum qui conſiderat vaſa venoſa brevia ex ventriculi ſubſtantia, ſanguinem ex ejus cavitate nil minus quam chylum excipere; nec ipſa hæc vaſcula in lienem abire, ſed extra lienem cum vena ſplenica coaleſcere, is neutiquam *Regio* aſſenſum præbere poterit.

§. XXVII. Id ipſum cum penſitaret HERM. CONRINGIVS *in Tr. de ſangv. gener. & motu Cap. V. p. 27.* chylum quidem e ventriculo ad Lienem deferri ſtatuit; at circa viam diſſentit aperte, ſic enim ille: *Ex quibus omnibus nemini non liquet, lienem tenuia quædam ac potulenta ex ventriculo in ſeſe attrahere. & cap. VI. p. 40: Cæterum, ſi neque arteriæ neque venæ faciunt ad illam chyli eductionem, manifeſtum eſt dari aliquod*

quod vaſorum genus ejus rei gratia quidem conditum, diſtinctum tamen a venis arteriisque hactenus notis. Nempe quemadmodum in meſenterio venæ lacteæ tertium conſtituunt vaſorum genus ac novum, ita par eſt & hic ſimile quid reperiri. Erit autem valde difficile oculis illud ſubjicere; certe difficilius quam cernere venas lacteas &c. Quid Clariſſ. virum induxerit, ut tales chyli vias ad Lienem fingeret, non obſcurum eſt, ſi modo id unicum attendamus, eum ſupponere pylorum tam arcte claudi toto digeſtionis tempore, usque dum alimenta omnia reſoluta fuerint, atque, ut loquitur pag. 21. *Chyli nihil in inteſtina ſecundum naturam protrudi, niſi finita demum omni coctione.* Sed experientia docet contrarium, ſiquidem muſtum v. gr. fermentans, aut cereviſia recens tempore prandii vel cœnæ hauſta alvam haud raro laxat, vix una alterave hora elapſa, hoc eſt, antequam ſolidiores cibi digeſti fuerint. Sed ponamus non niſi poſt quatuor vel quinque horas pylorum aperiri, ergone ſequitur, chylum per peculiares ductus abire ad Lienem? Cur non potius fingimus, tales vias e ventriculo ad utrumque renem, ita enim longe facilius citiusque ſerum abundans ſeparari atque in veſicam urinariam deduci poſſet? Sed vereor, ne chylus ſi ſerum ſubtrahatur ob ſpiſſitudinem per vaſa lactea tranſire poſſit commode.

§. XXVIII. Singulare quid habet FRANC. VLMVS, quando in Tr. de Liene aperte aſſerit, ſplenem ex inteſtinis recipere chylum, exinde ſangvinem conficere, eumque cordi per arteriam ſplenicam & aortam ſubminiſtrare, ex hoc autem cor conficere ſanguinem arterioſum ac vitalem ſpiritum. Quis vero non videt, hæc ſcripta eſſe ante inventam circulationem ſangvinis, hac enim ſtante, neque chylus ex inteſtinis in Lienem abit, quoniam venæ meſaraicæ non cum liene; ſed hepa-

hepate cohærent, ut ſuum in illud ſangvinem effundant: Deinde nec chylus per hæc ipſa vaſa ex inteſtinis progreditur, poſtquam vaſa lactea detecta ſunt: Imo & arteriæ ſangvinem quidem floridum ad lienem deferunt, non revehunt. Hæc cum obſervaret ANTON. DEUSINGIUS, nihil quidem ex inteſtinis, vel per venam portæ adduci ad Lienem autumat, ſed potius per arterias infundi materiam ſpiritibus generandis idoneam, ita enim in Idea *Fabr. corp. hum. P. I. cap. VI. p. m. 86. Uſus Lienis eſt, nequaquam melancholicum ſuccum ab hepate recipere, ut neque chyli portionem, quam elaboret, a trunco portæ admittere: ſed proprietate ſubſtantiæ ſuæ, ac vi craſſamenti, inter plexus reſidui, fermento imbuere maſſam ſanguineam per arterias advectam, ſicque præparare eandem ad ſpirituum vitalium faciliorem geneſin in corde futuram: quamvis per hepar demum ac venam cavam ad cor deferatur.* Ita ſcilicet eſt: E Liene per venam portæ ad hepar, & ex hoc per venam cavam ad cor longum ſatis videtur iter, ut mirum ſit in progreſſu ſpiritus aut materiam ſpirituum contineri ſalvos. Sane ſi quæ diſtinctio eſt inter cruorem venoſum & ſangvinem arterioſum, ea quam maxime obſervatur facta collatione inter ſangvinem venæ cavæ atque aortæ. Quomodo igitur ſangvis per venam cavam ad cor delatus dici poſſit ſpirituoſus, cum ſua natura obſcurus ſit, neque hunc colorem prius, quam in pulmonibus mutet, non video. Rectius ergo ſentiunt, qui ſangvinem venoſum intra pulmones in arterioſum ac floridum converti volunt, ut facile Lienis fermentatione ac præparatione longius diſſita carere queamus.

§. XXIX. Paulo aliter explicat Lienis uſum in generandis ſpiritibus GUERNERUS ROLFINCIUS *Lib. 8. Conſult. med. 3. p. 713. Quo ſanguis purior, & ſpiritibus generandis*

aptior

aptior conficiatur lienis officium eſt, chylum in venis axillaribus alteratum, in dextro cordis ſinu fermentaliter ſolutum, in pulmonibus & ſiniſtro cordis ventriculo in novam ſubſtantiam redactum, & coctionis vim aliquo modo expertum, cum ad ejus regionem mediante circulatione pervenerit, fæculentiores & terreſtriores partes extrahere, amplius coquere, & quæ abundant, per arterias & ductum pancreaticum ad inteſtina & renes deducere. Utinam plenius mentem ſuam expoſſuiſſet circa locum modumque in ſpirituum generatione obſervandum; Quod enim de fæculentioris & terreſtrioris partis extractione ac ampliori coctione refert, non tam probat, quam ſupponit: per arterias autem & ductum pancreaticum ad inteſtina & renes e Liene quicquam deduci, oppido falſum eſt.

§. XXX. Uſum non adeo remotum Lienis indicat GVALT. CHARLETON, quando in Tr. de Scorbuto *Cap. VI. art. 13. haud improbabile judicat, ſanguinem, dum per diffluxile ac bibulum viſceris hujus parenchyma trajicitur, attenuari, in rivulos prope innumeros, quin & minutiores moleculas diffringi (aquarum more per manicam Hippocratis transmiſſarum) adeoque præſervari a coagulatione; cui natura ſua pronus eſt maxime poſt emenſum tam longum a Corde iter. Hoc enim augurari licet, partim ex immenſa multitudine, miraque implicatione fibrarum, quibus univerſus ſplen ſtipatur; partim ex ingenti numero arteriolarum, in quas arteria ſplenica mox ab ingreſſu ſuo diſpergitur, quasque pariter in minimos hinc inde ramulos ſubdiviſus nervus comitatur: ut utrisque adjunctas, & per totum Lienem diſperſas Glandulas, ab accuratiſſimo Malpighio luculenter deſcriptas tacite prætermittamus. Quippe vix fieri poſſe videtur, ut tot,*

tantasque viarum anguſtias ſanguis permeet, quin ſimul in minutiſſimas guttulas comminuatur. Quæ omnes rurſum coëuntes in rami ſplenici Venoſi alveum, conceptamque denuo fluxitatem retinentes, quod itineris reliquum eſt facilius & citra coagulandi diſcrimen conficiunt, &c. A quo non diſſentit WEDELIUS *phyſiol. med. Sect. III. Cap. 20. pag. 164.* ita ſcribens: *Lienem fœnerari conſiſtentiam ſanguini, ne ſcil. vel grumeſcat & coaguletur, vel fluxilior fiat & rareſiat nimis.* Sed cauſam nullam habent, ob quam coagulum ſanguinis metuant in vena portæ; neque iter adeo longum eſt, ut refrigerari facile poſſit. Nec enim ſanguis in vena cava coagulatur, cum tamen ejus longitudo ad minimum triplo major ſit, quam venæ portæ, ſi ſcil. ab extremo pede ſaltim ad hepar eam metiri velimus. Adhæc venæ per utrumque crus diſtributæ ſtatim ſub cute reperiuntur, adeoque frigori exponuntur magis, cum ex altera parte ramificationes venæ portæ in abdomine latitent potius ac defendantur ab injuriis aëris externi. Quod ſi vero ſanguis hujus venæ cavæ liene non indiget ad præcavendum coagulum, multo minus eo indigere venam portæ, probabile eſt.

§. XXXI. Plurimi Ariſtotelem ſecuti, non Lieni tantum ſanguificationis negotium tribuunt, ſed hepati ſimul, ita JOH. JESSENIUS *Anat. Prag. Admin. 3. fol. 49. Lienem cum jecore mutuam habere operam exiſtimat, nec tam melancholici ſucci attractioni, quam ſanguinis elaborationi deſtinatum.* Cum quo facit PHIL. HOECHSTETTERUS *obſ. med. Dec. V. Caſ. I. in ſchol.* ubi ſic effatur: *Nobile hoc viſcus* (Lien) *altera officina ſanguinis eſt & hoſpitium regale, ad quod rapitur chyli portio per vaſa deferentia, quæ ſunt ramus ſplenicus ad ſiniſtram partem ventriculi miſſus, ut exhauriat aliquam chy-*

li

li modo elapſi portionem, antequam hepar ingrediatur. Item C. BARTHOLINUS *Controv. Anat. pag. 426. Sententia, cui nos ante multos annos, ut liquet ex inſtitutionibus noſtris anatomicis, ſubſcripſimus & etiamnum ſubſcribimus, eſt illa, quæ Lienem pro altero ſanguificationis organo ſalutat.* Huc refer CASP. BAUHINUM *Theatr. anat. Lib. I. cap. 43. pag. 276.* niſi quod hic ipſe lienem magis occupatum circa chyli portionem craſſiorem putet ad facilitandam hepatis digeſtionem: *Lien*, inquit, *partem craſſiorem & terreſtriorem chyli in venis meſaraicis jam alterati, & ſanguinis aliquam diſpoſitionem adepti, ex venarum meſaraicarum trunco, antequam chylus ad hepar feratur, ingenita facultate per portæ ramum ſplenicum ad ſe allicit, quo poſtmodum hepar rectius chyli partes laudabiliores attrahat.* Ita enim ARCH. PICCOLHOMIN. quoque *Lib. II. prælect. anat. XXI. Lien* dicit, *juvat ſanguinis confectionem, quatenus attrahit, tum a jecore, tum a ventriculo. A jecore quidem melancholicum ſuccum, quem cum jecur devincere & immutare non poſſit, lien aſſidua, eaque valida arteriarum pulſatione vincit, extergit & mutat in ſanguinem. A ventriculo autem chylum, quem iisdem viribus in ſanguinem convertit. Quapropter duplex erit uſus Lienis, alter ut repurget ſanguinem omnibus partibus diſtribuendum a ſqualido illo & lutulento ſucco; alter ut jecori opituletur, cum id minori fuerit mole ad copioſiorem ſanguinem conficiendum.* Agmen claudat ÆMILIUS PARISAN. qui in *Tr. de ſubtil. Lib. VI. Exerc. II. cap. 3.* hæc habet: *Lien alterum ſanguificans viſcus erit, a quo arterias ſanguinem trahere rationi valde conſonum eſt. His præterea addere lubet, quod lien cor refrigerat, & humectat, aquoſum attractum humorem illi præbendo, &c.*

§. XXXII. Quandoquidem vero nimis prolixum foret, ad ſingula reſpondere, fuſiusque demonſtrare, ubinam a vero aberrarint Auctores hi, ſufficiat indicaſſe vel unicum hoc ſuppoſitum eſſe falſum, quod veteres hepar pro ſanguificationis organo habuerint. Poſtquam igitur his diebus Hepar exauctoratum atque ab Officio ſanguificationis prorſus excluſum eſt, facile apparet, idem nec ſocio indigere, nec Liene adjutore. Si enim neque vaſa meſaraica chylum ex inteſtinis tenuibus recipiunt, vaſaque lactea non in hepar, ſed receptaculum lumbare abeunt, ut chylus omnis per ductum thoracicum in venæ cavæ truncum ſuperiorem effundatur, nemo eſt, qui non potius fidem adhibeat ſenſibus ac demonſtrationi oculari, quam ut fingat absque neceſſitate, quæ neque per manifeſtas rationes, neque anatomicam experientiam confirmari poſſunt.

§. XXXIII. Non deſunt proinde, qui ſublata ſocietate hac hepatis & Lienis in ſanguificationis opere, aliam quærunt in ſecernendæ bilis negotio. Inter hos primus nominari meretur MARC. MALPIGHIUS, ſic enim *de Viſc. Struct. in Tr. de Liene cap. 6. fol. 119. Non leve occurrit argumentum, eatenus in liene alterari ſanguinem, ut ſuam ſcil. operam hepati præſtet, quod præ cæteris viſceribus primum occurrit. fol. 117. nempe ab arteriis principaliter in lienis glandulas liquor defertur, cui etiam aliquid nervi immiſcent; ſeparatus autem & cribratus humor ab iisdem neceſſario revehitur in ſinus & ramum ſplenicum.* & fol. 120. *Lienoſus iſte ſuccus ſanguini commixtus hunc ad faciliorem bilis exaltationem ipſum refermentando, vel mavis ad ejusdem ſeparationem diſponet, præcipitando & ſingula fortaſſe diſſociando, quæ poſtremo bilem componunt, &c.* Pollicem Malpighio premit BOHNIUS

in Circ. anat. Progymn. XVIII. pag. 290. utque majorem auctoritatem conciliaret opinioni ſuæ, duumviratum hepatis & lienis ſtatuit ad imitationem Helmontii, qui duumviratum pylori & Lienis antehac aſſerere non dubitavit. Quoniam ſuum *ſanguinem ramus ſplenicus venæ portæ ac hepati immediate infundit, pariter augurari convenit, peculiarem horum viſcerum in officio eſſe conſpirationem, ſeu certam quandam eorum uſus dependentiam, i. e. præparatoriam ſeu adjutoriam hepatis potentiæ functionem lienis exiſtere.* & in Diſp. de Duumvir. hypochondr. hæc habet §. 23. *Non temere ac ſine ratione ſuſpicari licebit indiſſolubile utriusque hujus organi commercium & ſiniſtri hypochondrii cum dextro conſpirationem ſeu Duumviratum, i. e. ſplenem bilis ſecretionem maxime moderari, vel ad hanc prædiſponere & quidem mediante ſanguine, intra cellulas ejus congeſto, ſeu lienoſo communiter dicto.* & §. 18 *Proin Lieni ac hepati intermedius canalis eſt, per quem hoc ab illo recipit fluidum, ſine quo hepar non foret hepar, i. e. ejus actio aut omnimode aut maximam partem fruſtraretur.* A quo non recedit J. FR. ORTLOB, ut ipſe fatetur in Hiſt. part. Diſſert. XVI. §. 7. *Excell. BOHNII noſtri viam ſequi liceat, & prout ille Duumviratum hunc lienis cum hepate aſſerturus præſtitit, & nos alia occaſione quoque prolixius perſecuti ſumus.*

§. XXXIV. Sentit cum his quoque PHIL. VERHEYEN Anat. Corp. hum. Lib. I. Tr. II. cap. 16. quatenus *in lienis glandulis* putat *ſeparari humorem quendam ſpecialem, eumque primo infundi illius cellulis, indeque in venas ſplenicas reſumtum per venam portæ transferri ad hepar, ibidem bilis ſeparationi inſerviturum, atque hunc eſſe ejus uſum primarium: huic addit alium ſecundarium, nempe vaſorum lymphaticorum*

abundantiam conſiderans exiſtimat, Lienem eo fine fabricatum, ut lympham a maſſa ſanguinea ſegreget. Paulo aliter JOH. GOTHFR. BERGERVS Potentiſſimi Poloniarum Regis & Electoris Saxoniæ Archiater, in phyſiol. med. Lib. I. cap. 14. p. 214. ſentit: *Non alium Lienis uſum eſſe, præterquam eum, ut percolando ſucco bilioſo in hepate operam det, viſceris ipſius mechanica & exeuntis ex eodem ſangvinis tenuiſſimi miniatus idemque rutilans fluor in portam derivandus adeo indicat, ut nihil nos impediat illud, quod alia lienis fabrica in homine, alia in animantibus aliis deprehendatur, & pag. 216. omnem vaſorum lienis congeriem intra duplicem membranam adeo concinne, elegantique artificio, in retis cujusdam mirabilis modum contextam, non vana opinione auguramur, ut ſangvis, qui per arteriam capaciſſimam & ſerpentino reptatu progredientem, atque multiplici ſuorum ramulorum diremptu tenuiſſime diviſam, in omnes eorum ſpiras ac convolutiones, preſſu & contractione ambientium capſulæ muſculoſæ fibrarum, longe lateque diffunditur, ſibique ita ipſi in illo arteriarum reticulari & labyrintheo textu & variis hujus ac multiplicibus angulis, occurrit, & ſuperaffluit, a ſuarum partium cohæſione magis divellatur, atque in plures multo minores ſuperficieculas ſectus & ſolutus, emiſſa magna lymphæ parte in vaſa lymphatica, fluidior & mobiliſſimus per venæ ramos exprimatur, atque in portarum propulſus truncum, hujus quoque ſanguinem diſſolvat, & biblioſas ejus particulas a compedibus gelatinæ, cui adhuc cohærent & intextæ ſunt exturbet ac divellat, quo ſibi accommodatos radicularum biliarium meatus, per ſolas expreſſionum leges, facili ſeceſſione ingredi, & humores reliqui in venarum, cavæ ac lymphaticarum ſurculos regeri commodius poſſint. Ut adeo lienem machinam*

vacare liceat vaſculoſam æque ac muſculoſam, juvando ſanguinis per venas portæ circulo, & maturandæ particularum ſalino-ſulphurearum ſeceſſioni in hepate, vera bilis officina ac derivationi hujus per ſuos proprios canales a natura præfectum.

§. XXXV. Idem, ſed aliis, ac paucioribus verbis loquitur CHRIST. VATER, *Phyſiol. experim. Sect. VII. cap. 8. Thes. IX. Quoniam in tanto tamque numeroſo acceſſu arteriarum nervorumque nihil lympha limpidiſſima, & ſanguis ipſe floridus recedunt, facile liquet, eundem rurſus digeſtorii & colatorii tantum munere fungi, ubi ſanguis arterioſus, largiter affuſus, non ſolum per tot anfractus & cellulas vaſorum agitatur, dividitur, & attenuatur, & lympha in tubulos lymphaticos ſecernitur, ſed interea quoque novo ſucco aëreo & ſpirituoſiſſimo e nervis intercedente imbuitur, ut adeo longe magis digeſtus & attenuatus, novoque ſpiritu nerveo imbutus per venam portæ una cum reliquo ſanguine e trunci iſtius ramis redeunte, ad hepar perveniat & bilis in eo ſecretionem maxime facilitet.* Huc etiam pertinet G. PH. NENTERUS in Phyſiol. med. cap. IV. Membr. IV. Art. I. Punct. X. *Quo ſecretio hæc* (bilis) *eo facilius procedat, ſocium hepati junctum eſt viſcus, lien ſcil. ut in hoc ſanguis, per arteriam capacem affluens, ita diſponatur, quo eo facilius bilioſas dimittere particulas, reliquumque, cui poſtmodum miſcetur, venæ portæ cruorem, pari modo diſponere queat. Hanc autem faciliorem ſucceſſionem adjuvat potiſſimum capſula lienis vaſa ambiens; hæc enim cum fibroſa ſit, ſanguinem per lienem fluentem conquaſſat, & ſic bilioſas particulas, gelatinoſis immerſas ab earum compedibus liberat: unde etiam propter hanc conquaſſationem ſanguinem e liene ad hepar tendentem fluxi-*

liorem

liorem & floridiorem eſſe auctores teſtantur. Ne vero copioſa lympha bilis ſecretionem impediat, copioſiſſima in hepate pariter, ac liene conſpicua vaſa lymphatica eam excipiunt, & ad loca convenientia revehunt.

§. XXXVI. Quid reſpondebimus ad hanc ſocietatem lienis cum hepate in bilis ſecretione occupatam? ſcil. Speculationes eſſe ſatis ingenioſas, dubias tamen, nec ſatis probatas. Si enim Lien propter copiam ſanguinis arterioſi tantam vim habet in ſeparanda bile, mirum eſt, quamobrem materia non dilatarit arteriam hepaticam, ita enim opus haud fuiſſet ſplene: Venam autem portæ connectere potuiſſet cum vena cava absque difficultate. Sed contrarium videtur magis veroſimile, ſanguinem ſcil. venoſum deſtinatum ad bilis ſecretionem, arterioſum non æque. Quod ad vaſa lymphatica lienis attinet, non videntur ſatis firmum pro ſtabilienda bilis ſecretione ſuppeditare. Quis enim neſcit, ſimilia obſervari in omnibus corporis noſtri partibus mollioribus ac ſanguine turgidis? Imo ſi pulmones adhuc calentes ſpectemus, apparebit in eorum ſuperficie longe major copia vaſorum lymphaticorum, quam in liene, *vid.* WILLIS *pharm. rat. Part. II. ſect. I. cap. 1. Tab. I.* Quis vero dixerit ideo, Pulmones diſponere ſanguinem ad bilis ſeparationem in hepate, aut cum eo commercium habere ullum.

§. XXXVII. Tempus eſt, ut nunc quoque adjiciam meam de genuino Lienis uſu ſententiam, quæ non alia eſt, quam, prout eam ex ore MAGNIFICI DN. PRÆSIDIS accepi, humectare contenta infimi ventris. Mirum eſt, a nemine hactenus tale quid fuiſſe obſervatum vel annotatum ab aliis auctoribus, cum tamen per annos bene multos cum Auditoribus ſuis novum hoc dogma communicarit ſæpius.

In

In honorem Hippocratis noſtri vergere poteſt, nullum inter omnes propius accedere ad hanc opinionem, quam eundem COUM; dicit enim Lienem eſſe fontem aquarum, adde unicum verbum abdominis, ita res ſalva eſt, idemque affirmat, quod nunc quidem paulo plenius declarabo.

§. XXXVIII. Ante omnia præſuppono tanquam firmum & ab omnibus conceſſum, nullam partem corporis noſtri moveri, quæ non humectetur facilitandi motus ergo. Ita habenr juncturæ offium etiam minimorum ſuam lympham articularem: oculi ſuas lachrymas: lingua ſalivam: Cor liquorem in pericardio contentum. Quis dubitet idem pronunciare de ſtomacho ac inteſtinis, utpote quorum motus periſtalticus, ut commode fiat, eodem jure poſtulare videtur ſerum indeſinenter affluens.

§. XXXIX. Hunc in finem Lienem animalibus eſſe datum, ut ſerum quod tranſudat partes circumjacentes lubricare valeat, ſequentia probant argumenta: 1. Si Lien illæſus, ac recens recipiatur ex ove aut bove, cane vel quocunque ſimili ſubjecto flatusque immittatur, tum extenditur quidem hoc viſcus, aërem tamen non continet, quocunque modo vaſa obturaveris. Inde ſecure colligo, membranam quæ lieni propria eſt, foraminibus pertuſam eſſe, ut inſpiratus aër exire iterum queat, non minus quam pulmonem, de quo videri poteſt DN. PRÆSIDIS *Diſp. de Empyemate Thoracis* §. 24. *ſq.* Certe veſica Urinaria ſpiritum immiſſum adeo conſtanter retinet, ut etiam ad pilæ luſum idonea ſit; ad hunc modum inflari poteſt ſtomachus & quævis inteſtinorum portio. Non æque aërem retinet pulmo, collabitur autem ſponte non parum, etiamſi ne quidem contrectetur, multo magis ſi tantiſper comprimatur;

Idem accidit Lieni, ut nullum ſit dubium, quin ſuperficies illius hinc inde perforata exiſtat.

§. XL. 2. Si Lien adhuc ſanguine calente turgens prematur, apparent, præſertim circa extremitates ejus guttulæ ex his poris prodeuntes, non aliter, ac ſi extremitates digitorum premas, ubi ad ſudorem inclinat corpus.

§. LXI. 3. Clarius hoc apparet, ſi ope Syringæ aquam injeceris in venam ſplenis adhuc recenter exemti. Oportet autem ante omnia Lienis humiditatem vel manu ſicca, vel ſtrophiolo aut linteo molli abſtergere, ut prodeuntes guttulæ hoc facilius dignoſcantur.

§. XLII. 4. Qui ſumtus non metuit, loco aquæ recipere poteſt Mercurium vivum, qui e Lienis poris eodem modo proſilire ſolet, quam ſi per corium trajiciatur ut moris eſt. Cave autem ne tale quid tentes in Liene per aliquot dies ſiccato, quoniam ejus pori hac ratione clauduntur.

§. XLIII. Eodem hoc pacto in auriculis cordis deprehenduntur ſimiles pori, ita, ut utrobique ſeri ſecretio ſit expetida ſatis. Scio liquoris pericardii fontes huc usque non minus latuiſſe, quam Lienis uſum, imo nec defuiſſe, qui maluerunt hunc liquorem præter naturam deprehendi, nullibi ſecundum naturam, quam fateri, ſe ignorare illius ſcaturiginem; ac valde vereor, ne idem accidat ſero abdominis. Sunt enim, qui, & per auriculas cordis, & per lienem lympham exprimi poſſe, quoniam contra autopſiam obloqui nequeunt, non niſi violento modo, adeoque præter naturam id fieri perhibent. Quis vero auſit per corium trajicere argentum vivum, niſi poris illud hinc inde pertuſum ſit? Si enim veſica v.g. bubula eodem repleta fuerit, nun-

quam

quam exprimere poteris Mercurium niſi rumpatur. Talem vero rupturam adeo exiguam fieri, ut vix acus punctu- ram referat, nemo ſanæ mentis facile affirmabit.

§. XLIV. Fruſtra profecto cordis auriculæ præſertim ad marginem non ſunt excavatæ, neque Lien cavernulis innumeris inſtructus, quæ non modo ſubſtantiam ejus omnem pervadunt, ſed etiam in ambitu notantur; nam & hunc in finem fibræ nervoſæ transverſim ſitæ membranam utriusque lateris connexam retinent ac firmant, ſcil, ne his deſtituta ob tenuitatem facile rumpatur.

§. XLV. Sicuti vero non ſufficiebat unum ſaltim latus cordis humectare, ſed ut totum eſſet lubricum, auricula alia dextra, alia ſiniſtra reperitur, nempe in animalibus perfectioribus, aut certe aquatilibus exceptis; Ita ad humectanta inteſtina & reliqua infimi ventris contenta non unum ſufficiebat viſcus, ſed & aliud lateri dextro, aliud ſiniſtro proſpicit. Et ut clarius me expediam, Hepar anteriora magis, Lien poſteriora juxta dorſum ſita lubricare videtur. Utrumque autem viſcus ſub diaphragmate ſtatim hæret, ut lympha deorſum deſtillare poſſit, quemadmodum auriculæ cordis in ſummo ejus locantur, ut eo facilius humectetur totum.

§. XLVI. Ecce novam hepatis atque Lienis ſocietatem! quam veteres fingebant in ſanguificationis negotio, uti &, quam recentiores maluerunt in bilis ſecretione conſiſtere, tanquam vanam in antecedentibus refutavi. Quid ergo nunc impedit, quo minus duumviratum utriusque hujus viſceris vel etiam hypochondriorum conſtituam novum. Verum aquas miniſtrare non eſt res tanti momenti aut adeo nobile officium, ut titulum ſingularem aut jura

duum-

duumviratus mereatur; ſatius arbitror abſtinere ab ejusmodi pomposis verbis in receſſu nihil habentibus.

§. XLVII. Jam habes L. B. meam de *Uſu Genuino Lienis* opinionem, quam tibi tam diu non diſplicere ſpero, quam diu non alia reperta fuerit veritati magis congrua, aut ſaltim palato tuo arriſura.

S U F F I C I A N T.

JOANNES JACOBVS NEVHOLDIVS,

ἀναγραμματισθεὶς.

EN VOBIS NOVA SALVS DEI IN HOC.

EN, patriæ Cives, Proceresque SALVS NOVA cunctis
Surgit IN HOC VOBIS a bonitate DEI.
Hic varios morbos pellitque fugatque venena:
Aſt Sanos artus protegit arte ſua.
Ergo illi ſeros, quos virtus rara meretur,
Acclamate dies, mîque favete ſimul.

Pauculis his comitari volens TE, dilecte NEVHOLDI, dimittit ex oculis; non animo Tui amantisſimus

SAMVEL NÉMETHI,
Günzino-Hungarus.
S. S. Th. C.

(o)